



$v : V$. h. e. *si pondera sunt aequalia gravitates specificae sunt in ratione inversa voluminum.*

COROLLARIUM II. Si vero $V = v$; erit $G : g = \frac{Pv}{v} : \frac{pV}{V}$; adeoque $G : g = P : p$ h. e. *si volumina aequalia sunt, erunt gravitates specificae uti pondera.*

§. IX.

THEOREMA VI. *Gravitates specificae duorum corporum sunt uti densitates: $G : g = D : d$. Demonstratur: $P : p = VD : vd$ (theorem. 4. §. 7. praes. cap.) $P : p = VG : vg$ (§. eodem coroll. 2.) ergo (per coroll. axiom. 3.) $VD : vd = VG : vg$; ergo (per n. 191. algeb.) $VDvg = vdVG$; ergo (per coroll. axiom 6.) $\frac{VDvg}{Vv} = \frac{vdVG}{vV}$ h.e. $Dg = dG$; ergo producta resolvendo in proportionem, erit factores reciprocando $G : g = D : d$. Q. e. d.*

§. X.

Celeritas. DEFINITIO IV. *Celeritas corporis estabilitas, qua hoc certo tempore certum decurrit spatium.*

SCHOLION I. Quoniam eo major est celeritas, quo majus spatium breviori tempore percurritur; eo vero minor, quo brevius spatium tempore longiore absolvitur; manifestum est quotiente spatii per